...vcas

Banaszewic Adami Casim: Oculus Episcopi ad radiantem publicorum negotiorum solem irretorta pupilla cernens.

OCVLVS EPISCOPI,

Ad radiantem publicorum negotiorum Solem,
irretortâ pupillâ

CERNENS.

IN

Perillustri & Admodùm Reverendo Domino

D. ANDREA ZIELOPOLSKI,

J. V. D. Protonotario Apostolico,
ARCHIDIACONO SANDECENSI,
SCHOLASTICO SCARBIMIRIENSI.

dum eiusdem Archidiaconatûs
Provinciam susciperet.
debitæ Venerationis ergò
Nomine Officialatûs Becensis,

A

M. ADAMO CASIMIRO BANASZEWIC,
Philosophiæ Doctore, Scholæ Becensis Directore, Publ: Notario.

VMBRATILI ELOGIO
OBSERVATVS,
ET LVCI PVBLICÆ
DEMONSTRATVS.

Anno Domini 1693. *Die*

CRACOVIÆ Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi ac Rndissimi Dni Episcopi Cracoviensis Ducis Severiæ, necnon Scholarum Novoduorscianarum Typogr,

AD

PERILLVSTREM
ET
ADMODVM REVERENDVM
DOMINVM.

E*Tiam ſterilem incolentes oram, quibus coronemus floribus, ſtipemus malis, feſtum honoris Tui diem, habemus & audemus* Perilluſtris & Admodùm Reverende Domine. *Fertiliora ingenia, in cultiori Parnaſſi ſolo, quæ pro Tuo nomine ſudaſſe arbitramur, noſtram tenuitatem non deterrent, par eſt omnes omnia experiri, qui res magnas & magnoperè expetendas concupiunt. Non ſumus quidem tam fertiles naturâ, tam inſtructi bonarum artium diſciplinis, quem tamen, poſſumus curſum tenemus, minimè confuſi; cùm prima ſequentem pulchrum eſt in ſecundis tertiiſq; conſiſtere. Reſonaverint ergo ad ſolemnia honoris Tui proximæ Phœbo cytharæ, nec nos, quod tibi domeſticâ noſtrâ modulamur avenâ contemnes. & hæc affectu dulcis, reſonando quidem non prima nec etiam Vltima. quid ſi Vltima? Inconditos verſus ſaleſq; maximæ honorum ſolemnitates admittunt? & in ipſis bellicis rebus non tantùm litui tubæq; ſed ſpartanæ quoq; tibiæ feruntur habuiſſe incentivum: quia magni animi parvo modulo incenduntur. ſic in tranquilla honoris Tui die, inter Heliconia Muſarum barbita læta ſubmontana tibia noſtra, quod grata Tua aure excipietur non poſtrema Archidiaconatûs Tui pars, Officialatus Becenſis de Tuo favore non diffidimus. In ſermone hoc ſtudium cultûs Tui, non Vires noſtras metiris, cæteri in ſuis plauſibus, ampliores poſſunt eſſe; ſed non Veriores, cum quibus cuncta Vota, lætaq; Verba noſtra, vt hoc Tuo bono fruaris incolumis, vincaſq; communem mortalitatis legem, cuius merita immortalitatem ſpectant, fundimus & conſecramus, ſine fiducia æmulandi, cupidi bene merendi de affectu Tuo, quorum ego interpres.*

Tui ſemper devinctiſsimus ſervus

idem qui ſupra.

OCV.

OCVLVS EPISCOPI,

Ad radiantem publicorum negotiorum Solem,
irretortâ pupillâ

CERNENS.

Emēdicatæ lucis Pharos,

non est fidus ad portum veri splendoris Coriphæus,
suum unicuiq; accendendum candelabrum.
Etiam ipsis astris rara fides,
momentò accensas lampades extinguunt,
& ubi corruscarûnt, atris polum nubibus involvunt,
& turbines imbribus miscent.
Clarissima propriæ Virtutis fax, quotidianam Tibi serenitatem certiùs spōdet
Perillustris & Admodùm Reverende Domine
ANDREA ZIELOPOLSKI,
J.V.D. Protonotarie Apostolice,
Archidiacone Sandecensis,
Scholastice Scarbimiriensis.
Oculi Tui rectitudinis, Castor & Pollux
nunquam extinguendæ lucis sydera:
quorum auspicio,
Salva Tua & integra nominis meritorumq; oneraria,
hodie ad portum honoris stetit.
quia Pharos illi

 Lu-

Lucerna corporis Tui oculus Tuus.
qui in alto frontis Tuæ explicatæ faſtigio
à provida natura locatus
excubias pro cæteris membris agens,
etiam ne offenderetur, ad lapidem, Nomen Tuum,
Vigil non obdormivit.
Non eſt petenda à Numero æſtimatio,
quando numerum, excedit pretium Vnitatis.
Vnus ſcilicet Tuus, centum Argi luminibus,
felicior & pretioſior oculus.
qui ſive ſuæ, ſive alienæ rei cuſtos fuit,
non ceſſit Iunoniæ avi in ſpolium.
nunquam nictans palpebrâ
à prætexta ætatis lyncæus,
quò tamen acutiùs cerneret,
ad Cleanthis lucernam, Atticas noctes duxit.
prodeſt quippè ad ſolem efferri, ipſi quoq; aquilæ pullo,
ne pupillam retorqueat, ad ſolare jubar;
eo Tu fine, ad lumen ſapientiæ oculum Tuum tener adhuc
exercuiſti, vt publicum ſolem negotiorum
irretortâ pupillâ ſpectares.
quem Te gratum cultorem vix Iagelonia Pallas,
Vix Philoſophia ſuum Candidatum ſalutavit,
Magiſtrum & Doctorē brevi dimiſit,
per roſtra Arpinatem, per Porticus ſtagyritam novum
Sine mora longioris tædij:
maturus Virtuti, maturior literario honori factus es.
Quid mirum?
facilè fit Mercurius ſi lignum capax.

ſi ar-

ſi argillam Prometheus benè animavit,
prompto ſurgent ſimulacra Divorum.
Animus nempe Tuus, à vivaciori flamma ardens
Vix Venit, Vidit, momento Vicit;
quod alijs multa tempora negant.
& pares ſuperâſti, & Superiores adæquâſti;
cumq; fortior inſurgas, cunctisq; recentior horis,
ad Palæſtrã ſacræ Themidis debito gradu progreſſus es.
Doctor, non tantum Orthographus,
Pandectas interpretari, non alienas ſerviliter formas ſequi.
Ad Eminentiſsimum illud in Conſiſtorio Crac: Juris Emporium
Aſtreæ dilectus,
iam Aſtris proximus
Surſum evolante famâ,
in ſtoa laureis, in Areopago iuſtitiæ, candidiſſimis
illius Cœlo recepti.
Colũbini Eccleſiæ militantis Ocelli
NICOLAI OBORSKI
EPISCOPI LAODICENSIS
Lilijs.
mox odoratiſſimis terræ, per ſæcula ſervandi
Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi Domini
STANISLAI IN SLVPOW
S Z E M B E K,
EPISCOPI DIONYSIENSIS
Roſis.

amborum iuxta cor DEI Sacerdotum,
Vtriusque Suffraganei & Officialis Generalis Cracovien.
Coronatus,
an potiùs retaliatus es,
qui lilia & rosas, ad senacula illorum & subsellia
Iuris locutus eras.
In quorum gloriosissimo Themidis augustali,
quia facilè Princeps fuisti,
ideò cùm Iustiniano ad honores nulli secundus,
ex iusto & æquo
SCHOLASTICVS SCARBIMIRIENSIS FACTVS ES.
Et certè offerentem se, vltro citroque ditiorem fortunam,
& honores brevi habuisses,
nisi contemnens domi tantùm eminere,
alieno Soli communicari elegisses.
Vir ad unum angulum latere impatiens,
cùm prætervolante Orbem Sole
partiri Oras, & per semotas Regiones capacissimam
Exoticorum decorum Indolē circumferre voluisti;
(odio prosequens tristes Cœli Hyadas,
quæ damnatæ ad lacrymas,
raró emergunt luto,
semper latere delectantur)
proprio meridie illustris,
remotam Mundi Orbitam percurrens,
ad supremum illud in fastigio terrarum Orbis Vaticanū
cùm illuxisti,
Romanam recreâsti Sapientiam.
Inde eruditam frontem Tuam redimire voluit

quia

quia victrix Astræa in ea triumphavit.
Porro J. V. D. meritò creandus eras.
Quia iustitiam facere & docere consuevisti.
quam præcellentis animi Tui Coronam,
Vix Tibi Romana Pallas obtulit.
Diœcesis Crac: Florentissima Virtuti Tuæ & sapientiæ theatrum gloriæ erexit.
cordibus Te excipiens, qui necdum in brachia veneras.
Sic ergo in animis omnium triumphanti Tibi
ipsa quoq;
CELSISSIMI PRINCIPIS
ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI,
D. IOANNIS
De Małachowice,
MAŁACHOWSKI,
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCIS SEVERIÆ,
amplum gratiæ Sinum expandit
Fascia,
Solam Virtutem complecti solita.
cujus vt agnosceres beneficium,
Officium Archidiaconatûs Sandecensis Tibi obtulit.
Animi Tui speculum, sui verò in Te oculum reflectendo.
Visita ergo in salutari Tuo
TEMPLA DOMINI.

Tristes parietes illorum
ex obitu emeritissimi Viri
IACOBI ZELAZOWSKI
Archidiaconi olim Sandecensis
Canonici Boboviensis,
quantò citiùs adventu Tuo exhilara.
auidè Te Archidiaconatûs Tui Provincia Vniversa expectat.
noster tamen Officialatus Becensis
desiderio omnes anteit.
Sub Magisterio Virtutis Tuæ proficere non erubescet,
qui primam à Te ipso exegisti disciplinam.
Eijci à Te Festucam ex oculis nostris,
libenter patiemur, qui impatientem tenuissimæ atomi
pupillam Tuam, ad publicam lucem diu exercens
Factus calculo Cœli,
Votoq; omnium & applausu
DIGNISSIMVS
Tanti EPISCOPI
OCULUS.